



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 113. Novum Testamentum in lingua Syriaca editum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

retraxit. XII. Ad obtinendas indulgentias non magis jejunium, quam oratio requiritur, quia Pontifex hac in re præceptum injungere non intendit. Insuper accusabatur, quod in suis sermonibus sæpius hæc verba repetierit: Magnus Origenes, Sanctus Origenes, Sanctus Tertullianus. Ceterum an Facultas has propositiones damnarit, ignoratur, saltem censura earum non reperitur.

Sæcul. XVI.

A C 1564.

§. CXlii.

*Novum Testamentum in lingua Syriaca editum.*

Hoc item anno prima vice Novum Testamentum in lingua Syriaca prodiit, cura Joannis Alberti Widmanstadii Jurisconsulti, & Orientalium Austriæ Provinciarum Cancellarii, qui hujus operis editionem, prælumque, cum Ferdinandus Cæsar sumptus solveret, literis perquam elegantibus anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Viennæ in Austria inchoabat, ubi usus est quodam exemplari Syriaco Moyfis Merdinensis Sacerdotis, ex quo hunc librum illius regionis Jacobitis tum usui fuisse dignoscitur: porro in hac editione Syriaca tam secunda Divi Petri, quam secunda, & tertia Sancti Joannis, divique Judæ epistola, atque Apo-

*Spond. hoc ann. n. 33. Bellarm. de Verb. Dei l. 2. c. 4.*



Sæcul. XVI.  
A. C. 1564. Apocalypsis defunt, eo quod in scripto Codice, ex quo prælum adornabatur, desiderata fuerint: ad initium novi huius Testamenti, quod tamen minus vetustum creditur, ac forte ex Græco translatum fuit, habetur docta Editoris præfatio tanquam epistola nunciatoria, ad calcem autem leguntur varia Alphabeta Syriaca, pluresque preces Syriacis, hebraicis, latinisque literis scriptæ, ut hac ratione istius linguæ tum adhuc paucis cognitæ lectio magis expedita redderetur. Ceterum novum hoc Testamentum Guido Fabricius latine reddidit: ambo autem hi Authores contendunt, quod S. Matthæi Evangelium, & Divi Pauli epistola ad Hebræos Syriace fuerint conscripta, Syrique crediderint, a Sancto Marco Evangelista totum novum Testamentum ex Græco in Syriacum idioma fuisse translatum: hoc tamen argumentis sat validis haud comprobatur.

## §. CXIV.

*Regina Scotiæ ad recipiendum Concilium Tridentinum a Pontifice sollicitata.*

*Raynald.*  
*hoc ann. n. 49* Regina Scotiæ hoc anno quoddam Pontificis diploma die decima tertia Junii datum recipiebat, in quo Pius IV. eam